

possint quatuor ordines minores simul eodem die suscipi, dicitur infra n. 167.

161. *Duo sacri ordines nulli eodem die sunt conferendi.* — Resp. II. Duo sacri ordines eodem die sunt conferendi, ne quidem regularibus. Ita communis; ac præter sacros canones, mox citandos, est expressum in concilio Tridentino, sess. 23, cap. XIII, de *Reform.* revocante quoad hoc quæcumque privilegia in contrarium concessa, illis verbis: « Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. » Intellige, nisi imposturam Summus Pontifex cupiam specialem licentiam concesserit recipiendi, vel conferendi eodem die plures sacros ordines.

162. *Etiam si metropolitanus id jubeat.* — Et hæc conclusio imprimis extenditur, ita quod non liceat episcopo duos sacros ordines cupiam eodem die conferre, quamvis suus metropolitanus id mandaverit; prout desumitur ex c. *Dilectus*, 13, h. t. Ratio est: quia metropolitanus nequit dispensare in sacris canonibus; ergo ipsi contra horum tenorem præcipienti non tenetur, nec licite potest obedire episcopus.

163. *Nec quando unus in sabbato, et alter die Dominico continuato jejuniis confertur.* — Insuper data conclusio extenditur etiam ad eum casum, quo episcopus præcedenti sabbato quempiam ordinat in diaconum, et sequenti die Dominico (continuato jejuniis) vult eundem ordinare in sacerdotem: nam et hoc illicitum est, text. clar. c. *Litteras*, 13, h. t. Ratio hujus ibidem redditur: quia propter continuationem jejunii, fictione canonica, vel mane diei Dominicæ trahitur ad sabbatum, vel econtra, sicque ambo ad eundem diem pertinere censentur; ergo, sicut non licet utrumque ordinem sacrum eodem die cupiam conferre, ita pariter non licet unum ordinem uno, et alium altero die, continuato jejuniis conferre.

164. *Et quid, si aliquis sit dispensatus, ut possit extra tempora tribus dominicis, vel festi- vis diebus ordinari?* — Idem dicendum in casu, quo quis a Sede Apostolica obtinuit dispensationem, ut possit extra tempora, etiam interstitiis non servatis, « ordinari tribus Dominicis, seu aliis festiis diebus. » Nam istud est intelligendum de diebus interpolatis: nisi in specie addatur clausula illa: « etiam continuis; » prout notat Gobat, tract. VIII, *Theolog. experiment.*, n. 464.

165. *Episcopatus an possit eodem die recipi cum sacerdotio?* — Limitant autem datam conclusionem plerique doctores in episcopatu: nam, qui sabbato ordinatus fuit sacerdos, potest sequenti die Dominico, sive continuato, sive non continuato jejuniis, consecrari in episcopum. Glossa magna in can. *Quod a patribus*, dist. 75. Quæ Glossa insuper addit, quod die dominica mane possit quis ordinari in sacerdotem (vel continuato jejuniis, vel ex speciali dispensatione) et eadem die circa horam tertiam ordinari in episcopum: tum quia nullo jure istud reperitur prohibitum, nec etiam certum tempus inter hunc et illum ordinem est statutum; tum quia, ut addit Gobat, loc. cit., num. 463, episcopatus solum inadæquate distinguitur a sacerdotio, juxta dicta superius num. 18 et 19. Verum Abbas in c. *Litteras*, num. 3, circa finem, h. t. post Innocentium inquit, quod istud non fiat de ejus consilio; cum tam ordinatio in sacerdotem, quam consecratio in episcopum, debeat fieri cum Missa, et nullus debeat duas Missas eadem die celebrare.

166. *De jure nequeunt ordines minores eodem die una cum subdiaconatu recipi.* — Resp. III. Stando juri communi, non possunt quatuor ordines minores simul eodem die una cum subdiaconatu recipi. Desumitur hoc ex c. *Cum N*, 2, *De eo, qui furtive Ord. recep.* ubi clericus dictos ordines simul eodem die recipiens, in hoc facto multum excessisse dicitur. Concordat c. *Litteras*, 13 et c. *Dilectus*, 13, h. t. Licet enim hic sermo sit de duobus ordinibus sacris uno die eidem non conferendis, ordines minores autem inter sacros non connumerentur; nihilominus attentè pondere, et dignitate ordinis sacri, ratione cujus jura voluerunt hos singulos seorsim recipi, de mente conditoris canonis liquere potest apertius, quod idem senserit de quatuor ordinibus minoribus, uno die una cum subdiaconatu eidem non conferendis. Concordant dicta, et rationes n. 149 et 150, allatæ, juncto concilio Tridentino, sess. 23, cap. XI, de *Reform.* ubi non solum æque propter interstitiis inter ordines minores et subdiaconatum requiritur annum, ac inter duos ordines sacros; sed etiam majorem exigit causam, ut in iis dispensari valeat, quam in interstitiis inter subdiaconatum, et diaconatum.

167. *Secus de consuetudine alicubi recepta.* — Dicitur notanter in conclusione, « stando juri communi. » Siquidem consuetudinem illam,

qua in quibusdam locis eodem die cupiam quatuor ordines minores una cum subdiaconatu conferuntur, admittunt Navarrus, cap. xxv, *Manual.*, n. 71; Engel, h. t. n. 19, et alii. Concordat sacra Congregatio concilii supra, n. 45, adducta, quæ talem consuetudinem ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ, licere asserit; quamvis verba ejus loquantur in casu, si juxta consuetudinem loci ordines minores conferantur die Veneris, et subdiaconatus sequenti die sabbati, de quo etiam dictum est supra, n. 24. (ADNOTATIO XLVI.)

## § VII.

## DE POENIS MALE ORDINANTIUM, ET ORDINATORUM.

168. *Hujusmodi poenæ partim continentur in jure canonico, partim in bullis Pontificiis.* — Quæritur I. Quæ generatim circa poenas contra male ordinantes, et ordinatos statutas, sint observanda? Resp. I. Hujusmodi poenæ partim continentur in jure canonico, et sacro concilio Tridentino, locis infra notandis: partim in diversis bullis pontificiis, ac præsertim in Constitutione Pii II, quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, 1461 editæ (et refertur tom. I *Bullarii Romani*, Constit. 7, dicti Pontificis) in qua ad reprimendam nonnullorum, male ad sacros ordines se promoveri facientium, temeritatem, statuitur in hæc verba:

169. *Poenæ in constitutione Pii II, Cum ex sacrorum, contentæ referuntur.* — « Cum itaque (sicut dignorum relatione, non nisi moleste accepimus) nonnulli clerici, extra tempora a jure statuta, quidam ante ætatem legitimam, aliqui vero sine dimissoriis, contra sanctiones canonicas se faciunt ad sacros ordines promoveri: Nos eorumdem temeritatem, tali castigatione reprimentes, ut aliis imposterum committendi similia aditus præcludatur; auctoritate Apostolica, hac Constitutione perpetuo valitura, statuimus, et ordinamus, quod omnes, et singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, etiam Cismontanis (præterquam si in hoc ultimo casu, per Cameram Apostolicam, juxta illius stylum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione, ipso jure suspensi sint: et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare

præsumperint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea, ultra alias poenas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari. » Hæc Pontifex.

170. *Hæc poenæ solummodo locum habent in indebite suscipientibus sacros ordines: non autem minores, aut primam tonsuram.* — Circa quam Constitutionem Pii II, cum primis notandum, quod ipsa solummodo loquatur de indebite suscipientibus sacros ordines (ut patet ex verbis ejusdem) ac proinde non procedat de prima tonsura, et ordinibus minoribus male susceptis: unde in his attendendum est jus antiquum. Navarrus, cap. xxv, *Manual.*, n. 70, et consil. x, n. 4, de *Temporib. ordinat.*; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 16, n. 14, et allegat. 17, n. 18.

171. *Procedunt tamen etiam quoad regulares.* — Quamvis vero eadem Constitutio in narratione facti mentionem faciat de solis clericis, horumque excessibus, sicque prima facie non videatur comprehendere regulares; cum Constitutio, præsertim poenalis, loquens de solis clericis, non comprehendat religiosos, nec econtra, ut dictum tit. II, de *Constitutionibus*, § 17, n. 436; quia tamen eadem Constitutio Pii II, in progressu, ipsaque dispositione juris, absolute loquitur, « quod omnes, et singuli, » etc. simulque præsens materia sacrarum ordinationum æqualiter respiciat clericos tum sæculares, tum regulares: ipsam de utrisque esse intelligendam, non immerito censet Miranda, tom. I, *Manual. prælat.* quæst. 39, art. 6.

172. *Bulla Sixti V, Sanctum et salutare, est revocata per Clementem VIII, et cur?* — Aliam bullam contra clericos male, aut simoniacè promotos, et episcopos in ordinum collatione peccantes, edidit Sixtus V, in sua Constitutione 91, *Sanctum et salutare*, quæ refertur tom. II *Bullarii Romani*. Verum quia hæc nihil disposuerat ultra id, quod in sacris canonibus, et decretis concilii Tridentini, aliorumque Pontificum Constitutionibus dispositum fuit, sed diversas solum poenas, et censuras ecclesiasticas contra male ordinantes, et male promotos continebat, simulque harum absolutionem et dispensationem Sedi Apostolicæ reservabat: hinc Clemens VIII, in sua 40 Constitutione, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (ac refertur tom. III, *Bullarii Romani*), ob plura incommoda, quæ inde consequebantur, dictam bullam Sixti V, omnesque poenas et censuras in ea contentas



(salva præservatione pœnarum ibidem contra simoniace ordinantes, et ordinatos inflictorum) moderatus est, atque ad dispositionem sacrorum canonum, et concilii Tridentini, nec non citatæ Constitutionis Pii II, reduxit. Atque idcirco de dicta bulla Sixti V, non oportet ulteriorem mentionem facere. (ADNOTATIO XLVII.)

173. *Constitutio Urbani VIII, Secretis, quæ contineat?* — Aliam Constitutionem contra male ordinatos, anno 1624, edidit Urbanus VIII, quæ incipit, *Secretis* (et habetur tom. IV *Bullarii Romani*, constitut. 35, dicti Pontificis), in qua idem Pontifex innovavit, atque ampliavit dispositionem Clementis IV, quæ habetur in cap. I, h. t. in 6, additis nonnullis aliis pœnis, præsertim contra promotos cum falso, vel ficto patrimonii titulo statutis; prout uberius in memorata bulla videre licet. (ADNOTATIO XLVIII.) Nunc descendendo ad particularia,

174. *Episcopus ordinans quempiam ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione ordinum.* — Quæritur II. Quæ sint pœnæ ordinatorum, vel ordinatorum, ante legitimam ætatem? Resp. I. Episcopus scienter quempiam ordinans ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum, non quidem ipso jure, sed per sententiam. Ita desumitur ex c. *Vel non est compos*, 14, h. t. ibi: « Prædictum episcopum (qui puerum tredecim annorum in diaconum ordinavit) a collatione ordinum suspendentes: » et notat Glossa ibidem *ŷ. Suspendentes*, et Abbas, n. 2, ac Barbosa, n. 1, et 2, et alii.

175. *Non autem ab alio actu ordinum.* — Accedit ratio: quia imprimis talis episcopus suspenditur solum a collatione ordinum, ut puniatur in eo, in quo deliquit, nempe in collatione ordinum, c. *Litteras*, 13, eod. Unde, si talis episcopus durante illa suspensione Missam celebret, non efficitur irregularis: quia solum est suspensus a collatione ordinum, non autem ab alio actu, seu ministerio ordinum, puta a celebratione Missarum. Abbas Panormit. in c. *Cum dilectus*, n. 20, de *Consuetud.*; Rebuffus in *Praxi benefic. tit. de Clericis ad sacros ordines male promotis*; Glossa 2, n. 7; Fagnanus, in d. c. *Vel non est compos*, n. 43, h. t. et alii.

176. *Nec est ipso jure suspensus, sed per sententiam suspendendus.* — Deinde, quod episcopus ordinans quempiam ante legitimam ætatem, non sit ipso jure suspensus, desumitur ex allegato verbo illo, *Suspen-*

*des*, quod importat pœnam ferendæ sententiæ: simulque quia alias nullibi suspensio latae sententiæ contra sic delinquentem reperitur in jure statuta. Neque urget citata Constitutio Pii II, suspensionem ipso jure imponentis. Nam, ut liquet ex terminis, ea non loquitur de male ordinantibus, sed de male ordinatis, seu de illis, qui indebite ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri.

177. *Et quidem a collatione omnium ordinum.* — Quod autem ejusmodi episcopus, scienter quempiam ordinans ante legitimam ætatem, suspendendus sit a collatione omnium ordinum, et non tantum illius, in cujus collatione peccavit, patet ex eo: quia textus loc. cit. loquitur absolute, « a collatione ordinum suspendentes: » unde, quia jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. *De pretio*, ff. de *Publician. in rem action.* cum similibus. Glossa, Abbas, ubi supra, et alii.

178. *Episcopus conferens dumtaxat a collatione clericalis tonsuræ; et cur?* — Nec obstat, quod talis episcopus solum peccaverit in collatione unius ordinis, sicque non videatur puniendus suspensione a collatione omnium ordinum, arg. cap. ult. h. t. in 6, ubi episcopus conferens infanti, etc. clericalem tonsuram, per annum dicitur « suspensus a collatione clericalis tonsuræ dumtaxat; » non vero a collatione omnium ordinum, juxta Glossam ibidem; ut sic « in eo (inquit Pontifex) in quo peccavit, puniatur. » Non obstat, inquam, tum quia prima tonsura non est ordo proprie dictus, ut tenet communior doctorum, præsertim theologorum; sicque haud mirum, quod ob illicitam ejus collationem non inducatur suspensio a collatione ordinum proprie dictorum; tum quia, si Pontifex in proposito voluisset, quod episcopus ante legitimam ætatem ordinans, suspenderetur dumtaxat a collatione ordinis illicite collati, non autem cæterorum, pariter id expressisset, sicut expressit de conferente illicite primam tonsuram in cit. cap. ult. h. t. in 6. Unde hæc instantia militat in contrarium, arg. c. *Inter corporalia*. § *Se neque de translat. episc.*

179. *Ordinatus ordinibus majoribus ante legitimam ætatem, de facto est ipso jure suspensus.* — Resp. II. Ordinatus ordinibus majoribus ante legitimam ætatem, valide quidem ordinatur, atque recipit ordinis characterem; talis tamen ipso jure est suspensus, et si in

tali suspensione ministraverit, efficitur irregularis. Ita de facto communis doctorum; estque decisum per bullam Pii II, quæ incipit: *Cum ex sacrorum* supra num. 169, jam allegatam. Nam sistendo intra terminos juris communis, ordinatus ante legitimam ætatem non est ipso jure suspensus, sed suspendendus ab executione ipsius ordinis, usque ad legitimam ætatem, arg. c. *Vel non est compos*, 14, h. t. ac notat Abbas ibidem, n. 3, et 6, et Glossa in Clem. ult. *ŷ. Anno de Ætate et qualit. præfic.* et Navarrus, consil. 11, n. 5, de *Temporib. ordinat.* appellans hanc opinionem communem. Aut saltem est suspensus dumtaxat usque ad legitimam ætatem, adeo ut hac superveniente cesset impedimentum; prout vult Barbosa, cit. c. *Vel non est compos*, n. 4, et 6, h. t.; post Covarruviam in Clem. *Si furiosus*, part. I, § 1 n. 4, et alios. De facto tamen talis est suspensus perpetuo, seu donec beneficium absolutionis consequatur. Quaranta *ŷ. Ordo*, circa initium.

180. *Quid, si ignoranter ita fuit ordinatus?* — Limitatur tamen data conclusio in ordinato ignoranter ante legitimam ætatem: nam, qui ante hanc bona fide suscipit ordinem sacrum, probabiliter post diligentem inquisitionem existimans se habere legitimam ætatem, non efficitur ipso jure suspensus, neque irregularis, si stante tali ignorantia ministraverit. Ratio est: quia Pius II, ubi supra, loquitur de iis, qui scienter hoc fecerint (ignorantia enim juris, vel facti, generaliter excusat ab incurrenda censura, c. *Si vero*, 4, de *Sentent. excomm.* et cap. II, de *Constitut.* in 6.) quique in ordinibus « ministrare præsumperit: » quæ dictio dolum, malitiam, ac temeritatem importat. Navarrus, cap. xxvii, *Manual.* n. 155; Miranda, tom. I, *Manual. prælat.* quæst. 39, art. 6, in fine; Barbosa, loc. cit. n. 18, et alii. Si tamen postea defectus ejusmodi deprehendatur, non erit illicitum sic ordinato ministrare in suscepto ordine, donec ad legitimam ætatem pervenerit: ne quidem cum licentia episcopi, cum hic non possit dispensare super ætate contra sacros canones. Hac tamen superveniente, cessabit impedimentum absque alia dispensatione.

181. *Episcopus ordinans quempiam extra tempora absque dispensatione, cui pœnæ subjaceat?* — Quæritur III. Quæ sit pœna ordinatorum, et ordinati extra legitima tempora? Resp. I. Episcopus ordinans quempiam, non

habentem privilegium vel dispensationem, extra tempora jure statuta, privandus est potestate conferendi ordines, quos illicite contulit. Patet hoc ex c. *Sane*, 2, in fine, et c. *Cum quidam*, 8, h. t. ac notat Glossa ibid. *ŷ. Canonica*, et Abbas num. 1, cum communi. Concordat textus in c. *Litteras*, 13, § fin. h. t. ubi episcopus, « ut puniatur in quo deliquit, a collatione ordinum, diaconis scilicet, et presbyteris, » quos indebito tempore, sive eodem die contulerat, suspenditur. Unde hujusmodi pœna suspensionis, quæ incurritur ob ordinationem extra tempora jure statuta factam, non est a collatione omnium ordinum, nec incurritur ipso jure, sed primum post sententiam. Si tamen ea infligatur, est perpetua, seu donec gratiam absolutionis quis obtinuerit, et non tantum durat per annum: nam jura allegata loquuntur indefinite: simulque concilium Tridentinum, sess. 23, cap. viii, de *Reform.* statuens suspensionem a collatione ordinum per annum, loquitur in alio casu, seu quando quis ordinat alienum absque testimonio sui ordinarii. Barbosa, in cit. c. *Cum quidam*, n. 2, h. t.

182. *Suspensus a collatione certi ordinis, potest conferre minorem, non autem majorem.* — Circa dicta tamen est notandum cum Abbate in c. *Vel non est compos*, num. 5, h. t. Viviano in *Rationali juris canonici*, cap. xiv, h. t. et aliis, quod suspensus a collatione certi ordinis, puta diaconatus, possit conferre ordinem minorem, arg. can. *Qualis hinc*, dist. 25, ibi: « Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur: » juncto c. *Odia*, et c. *In penis*, de *Reg. jur.* in 6. Majorem vero ordinem, puta presbyteratum, conferre non poterit; quia licet in ipso majori non deliquerit, fecit tamen respectu hujus se indignum, delinquendo in minori: ut l. *Cui pacto*, ff. de *Servis exportand.* ibi: « Ne, qui caret minoribus, fruatur majoribus. » Dummodo hinc excipiatur casus in cap. ult. h. t. in 6, relatus, ubi indebite conferens cuiquam primam tonsuram, a collatione dumtaxat clericalis tonsuræ per annum suspenditur; idque ob rationem n. 178, allatam.

183. *Ordinatus extra tempora, de facto ipso jure est suspensus.* — Resp. II. Quamvis spectato jure antiquo, recipiens ordines extra tempora non sit suspensus ipso jure, sed suspendendus per sententiam, arg. d. c. *Sane*, 2, et c. *Cum quidam*, 8, h. t.; de facto tamen,



et pōsi bullam Pii II. *Cum ex sacrorum*, tales ordinati extra tempora, sunt ipso jure suspensi, possuntque suis beneficiis, si quæ habent, jure privati; prout liquet ex verbis citatæ bullæ, n. 169, relatis.

184. *Num a tali suspensione possit episcopus absolvere?* — Num autem in hac suspensione possit episcopus dispensare, variant nonnihil doctores. Et quidem Barbosa, part. II. de *Offic. et potest. episcop.*, allegat. 17, n. 14, et seqq. citans alios, negativam tenet sententiam, nisi suspensio, et inde consecuta irregularitas fuerit occulta. Unde addit post Rebuffum in *Praxi Benefic. tit. de Clericis ad sacros ordines male promotis*, Glossa 2, n. 13, quod hodie solus Papa, vel ejus Legatus a latere, ex speciali sibi data potestate dispenset cum ordinatis extra tempora. Verum oppositam sententiam, videlicet proprium episcopum posse ab hac suspensione, et irregularitate absolvere, vel dispensare, post Suarezium, disp. 29, de *Censuris*, sect. 1, n. 18, probabile censet Pirhing, h. t. n. 107; tum quia Pius II, in citata Constitutione sibi non reservavit absolutionem a dicta suspensione, vel irregularitate; sicque hoc ipso concessisse videtur episcopo facultatem absolventi ab ea; ut in simili dicitur c. *Nuper*, 29. § *In secundo. de Sentent. excommunicat.*; tum quia hæc potestas post peractam penitentiam absolventi ordinatos extra tempora a suspensione, olim fuit concessa episcopis in c. *Consultationi*, 16, h. t., ibi: *Sustinere poteris*: ac notat Glossa fin., ibid. solvens contraria, et Abbas. n. 2, et Vivianus in *Rationali*, pluresque alii per Barbosam, ubi supra, citati.

185. *Quæ sint pœnæ ordinantis alienum subditum, et sic ordinati?* — Queritur IV. Quæ sit pœna ordinantis alienum subditum sine dimissionis, et sic ordinati? Resp. I. Qui scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, alienum subditum absque superioris sua licentia ordinare præsumserit, per annum continuam collatione ordinum ipso facto et suspensus: et sic ordinatus pariter existit suspensus a susceptorum ordinum executione, quamdiu tamen proprio ordinario videbitur expedire. Ita habetur expressum in c. *Eos qui*, 2, h. t. in 6, et can. *Nullus alterius*, et can. *Nullum episcoporum*, 9, q. 2, ubi, si secus attentetur, talis ordinatio non censetur esse rata, sed vacua et inanis (intellige, quantum ad executionem ordinis, ut explicat Glossa) nisi

ordinati post peractam pœnitentiam, a proprio episcopo dispensative recipiantur; prout subjungitur in can. *Lugdunensis*, ead. 9, q. 2. Concordat concilium Trident. sess. 23, cap. VIII, de *Reform.* ibi: «Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. — Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.»

186. *Quid, si hoc fiat bona fide?* — Dicitur notanter, *Qui scienter*, etc. Nam secus dicendum, si id fiat ignoranter, juxta dicta superius n. 180. Aut si bona fide credendo, in talibus circumstantis, et concurrentibus causis, proprium episcopum hujusmodi ordinationem sui subditi gratam, ratamque habiturum: sic enim jam interveniret ejus licentia saltem rationabiliter præsumpta. Qua ratione sanctus Epiphanius quosdam clericos ex diocesis sancti Joannis Chrysostomi ordinasse legitur in cil. c. *Lugdunensis*, 9, q. 2, ac notat Glossa ibid. §. *Quod sanctus vir*.

187. *Pœnæ ejusmodi habent locum in abbate, alienum subditum ordinante.* — Alioquin vero data conclusio non solum procedit in episcopo, sed etiam in inferiori prælato, ut puta abbate habente potestatem conferendi ordines minores, si hos alieno subdito scienter ac temere conferat. Nam etiam talis per annum suspensus est a collatione ordinum: ut notat Glossa in cil. c. *Eos qui*, h. t. in 6. Et quidem omnium ordinum, juxta dicta superius n. 177.

188. *Atque in iis omnibus, qui de facto ordinant alienum, vel ordinantur, sub minus legitimis titulis beneficii, originis, domicilii, vel triennalis commensalitatatis.* — Resp. II. De facto memoratam pœnam suspensionis a collatione ordinum per annum, seu a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario expedire videbitur, ipso facto incurruni, qui ordinant alienum subditum, aut sic ordinantur sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu continuæ episcoporum ordinantium commensalitatatis titulis, seu non servato modo in novissima Constitutione Innocentii XII, quæ incipit, *Speculatores domus Israel*, determinato. Patet hoc ex posterioribus ejusdem verbis, n. 107, jam relatis quibus Pontifex sic loquitur: «Ita vero præmissa omnia et singula, perpetuo atque inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordi-

nans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit; aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Notue, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat.» Hæc Pontifex.

189. *Aliæ pœnæ contra ordinantes alienum subditum. Possunt talium subditi postea a vicinis episcopis libere ordinari.* — Resp. III. Præter alias pœnas, arbitrio Summi Pontificis infligendas, quarum una in sæpe dicta Constitutione Pii II, expressa, est privatio beneficii ecclesiastici: illa quoque in jure canonico contra ordinantes scienter alienum subditum reperitur statuta, videlicet, quod, postquam suspensio eorum fuerit manifesta, possunt sui subditi, absque ipsorum licentia, interim a vicinis episcopis libere ordinari. Ita quippe habetur expressum in c. *Eos qui*, 2, h. t. in 6. Et merito: ut sic quis puniatur in eo, in quo deliquit, dum alienus ordinat suos, qui prius ordinaverit alienum absque proprii superioris licentia.

190. *Dummodo de suspensione inde contracta, constat per declarationem metropolitani.* — Solummodo hic notandum, quod taliter ordinandus debeat probare suspensionem proprii episcopi, contractam ex ordinatione alieni subditi, idque per declarationem metropolitani. Alioquin non crederetur ordinando, arg. c. *Cum secundum de Hæretic.*, in 6, ac notat Rebuffus in *Praxi benefic. tit. Formula dimissariarum litterarum*, n. 19. (ADNOTATIO XLIX.)

191. *Episcopus conferens cuiquam ordinem sacrum non habenti titulum sustentationis, tenetur eidem providere de alimentis, donec beneficium consequatur.* — Queritur V. Quæ sit pœna ordinantis aliquem, et ordinati absque competenti titulo sustentationis? Resp. I. Præter peccatum, quod tam scienter ordinans, quam ordinatus sine titulo incurrit, agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi: insuper episcopus conferens cuiquam ordinem sacrum non habenti titulum sustentationis, tenetur eidem providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. Ita communis; et patet tum ex c. *Episcopus. 4 de Præbend.* quod est Alexandri III, in concilio Lateranensi; tum ex c. *Cum secundum*, 16 eod. ubi Innocentius III, moderando antiquos canones, in can. *Neminem*, et can. *Sanctorum*, dist. 70, rela-

tos, juxta quos ordinatio absque titulo facta habebatur irrita (quoad executionem ordinis, non quoad hujus valorem) sicque taliter ordinatus ab exercitio ordinum fuerat suspensus, decrevit in hæc verba: «Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum, quisine certo titulo promoverentur, in injuriam, ordinantium irritas esse voluerint, et inanes: Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel successores eorum providere volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur. Hæc ibi.

192. *Et quid, si talis episcopus moriatur, vel plures ordinaverint eundem absque titulo?* — Ex quibus verbis ulterius liquet, quod episcopo ordinatore jam mortuo, capitulum sede vacante, ac dein novus episcopus taliter ordinato teneatur necessaria vitæ subministrare, donec ei de competenti beneficio provideatur: ne alioquin ille in opprobrium status clericalis mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogatur. Quinimo, si clericus absque titulo fuit ordinatus a pluribus episcopis, domicilii videlicet et originis, ab uno eorum recipiendo v. g. subdiaconatum, et ab altero diaconatum; tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato alimenta præstare. Fagnanus in d. c. *Cum secundum*, n. 24. de *Præbend.*

193. *Fallit istud, quando ordinatus habet aliunde, unde vivat; vel quando ipse decepit ordinantem fingendo titulum.* — In ellige, dummodo talis ordinatus aliunde non habeat sustentationem suam, puta, ex sua vel paterna hereditate; prout limitatur in cil. c. *Episcopus de Præbend.* Simulque, dummodo episcopus fuerit in culpa, ordinando sine titulo, dum vel scivit, vel saltem providere debuit, clericum non habere titulum: alioquin enim, si clericus per fraudem fingendo titulum, impetravit ordinationem absque ulla culpa episcopi ordinantis, tunc iste non tenetur alimenta subministrare. Fagnanus cit. c. *Cum secundum*, n. 62. de *Præbend.*; Pirhing. h. t. n. 111. post Ugolinum de *Offic. et potest. episc.* cap. XXVI, § 15. §. *Tertio non tenetur*: quia rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. II. de *Constitut.*

194. *Declaratur c. Si episcopus, de Præbend. in 6, ubi aliæ fideiæ continentur.* — Concordat, atque aliis casibus hoc ipsum declarat. c. *Si episcopus*, 37. de *Præbend.* in 6. Sic quippe, quando episcopus alienus ex generali commissione proprii episcopi diocessani quosdam ordinavit, atque ex illis quæ-